



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Litterae Societatis Iesv E Regno Sinarvm Annorum MDCX.  
& XI. Ad R. P. Clavdivm Aquaiuam eiusd. Societatis  
Præpositum Generalem**

**Trigault, Nicolas**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1615**

De Epacta & aureo numero.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68733)

scribunt, quod Lie schün vocant, ac si dicas; ver-  
 assurgit, quod signum ab æquinoctio verno,  
 sesquimense distat, & hoc signum in quintum  
 Februarij nostri cadit: nouilunium igitur illud,  
 quod huic est signo proximum id pro anni prin-  
 cipio statuerunt. Quod circa hoc statui bene  
 possit, est obseruare, exactè hoc tempore quinto  
 Februarij in solis occasu, qua in cæli regione di-  
 ctæ vrsæ maioris stellæ collocentur: tametsi cer-  
 tum est Sinas nihil immutatuos circa sui anni  
 inchoandi rationem, licet stellæ illæ nō eum ho-  
 die tenere locum reperiantur quem ipsi fingūt.

### • De Epacta & aureo numero.

Sinæ quod Calendarium annuum confici-  
 unt, in eoque planetarum motus in dies singulos  
 apponant, nihil indigent Epacta, nec vllus erit  
 illius vsus in Calendarij Sinensis correctiōe,  
 quam à nobis exigunt. idem de aureo numero  
 dicere licet: quia tamen aliquid aureo numero  
 non absimile in vsu habent id attingam. Habent  
 characteres decem, quos anni characteres vo-  
 cant, horarum verò duodecim, totidem habent  
 characteres, neque enlm illi horis suis nume-  
 rorum nomina imposuere; sed horæ singulæ  
 proprias habent notas. has vel anni, vel hora-  
 rum characteres inter se conferunt in hunc mo-  
 dum. Primum anni characterem, cum primo  
 horarum characterem componunt, ijque duo  
 chara-

characteres anno primo, nomen imponunt, ac-  
 que ita deinceps ad annum vsque sexagesimum,  
 quo anno omnis horum characterum interse  
 collatio exhauritur, vt nullus sit qui non semel  
 collatus reperitur; quod spatium annorum 60.  
 ipsi velut pro sæculo habent, quo elapso ab ini-  
 tio eandem inter se characterum coniunctio-  
 nem denuo ordiuntur. Id etsi ad sæculorum ra-  
 tionem ineundam intricatum videatur, exerci-  
 tatis tamen est facile, maximè quod ex regum  
 periodis facile norunt, quod sæculum prius,  
 quod posterius numeretur. Characterum vsus,  
 non solum annis nomen imponit, verum etiam  
 illis ipsis ipsi annorum dies appellantur, primū  
 diem prima compositione innuentes, iisque  
 post sexaginta exhaustis, toties in circulum re-  
 deunt, donec annus euoluatur; Idem quoque ab  
 ijs circa ipsas horas tametsi proprio caractere  
 non careant, obseruatur, qua in re arcana quædā  
 latere sibi alijsque persuadent.

## De Cyclo solari & littera

### Dominicali.

Idem de Cyclo solari ac littera Dominicali di-  
 cere possumus, quod modo de Epacta, Numero-  
 q; Aureo diximus, eos hæc quidem non habere,  
 sed eorum loco nonnulla affinia. Sinæ constel-  
 lationes numerant octo & viginti, quæ singulæ  
 propriū habent characterē, hi quoq; caracte-  
 res singuli cum singulis planetis componuntur.

L & planeta